



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

60. Quidam calcibus percussit clericum in publica platea, & cum à atli excommunicatione non posse ab Episcopo absolui dixissent aliqui viri docti, quæsierunt à me, quid in hæc re ego sentirem? Et in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ob Clerici percussione. Ref. LX. &c. 159

ad docet, vt teneatur vitare excommunicatum jam denunciatum, non sufficere dubium adhuc prudens dicitur denunciationis, sed requiritur notitia illius moraliter certa, quod excommunicatio sit expresse & specialiter denunciata.

RESOL. LX.

Quidam calcibus percussit Clericum in publica platea, & cum à tali excommunicatione non posse ab Episcopo absolvi dixissent aliqui viri docti, quaesierunt à me, quid in hac re ego sentirem?

Et in dubiis, an percussiones declaranda sint potius graves, & enormes, quam leves? Ex p. 2. tract. 16. & Misc. 2. Ref. 21. aliis 23.

§. 1. Respondi pro illis Theologis adesse Sayr. de cens. lib. 3. cap. 28. n. 6. qui putat, quod ratioe loci publici percussio aliàs levis efficitur enormis, sed cum percussio, de qua loquimur, fuerit facta in publica platea, erit enormis, & consequenter ejus absolutio reservata Papæ. Ita etiam cum Sayro tenent Abbas, Sylvester, Tabiena, Graffius, D. Antoninus, & alii apud Maceratesen. var. resol. lib. 3. ref. 11. n. 10.

2. Sed ego contrariam sententiam consului. Nam puto cum Navar. cap. 27. n. 92. Aloysio Riccio in dec. curia Archiep. Neap. p. 2. dec. 194. n. 2. & dec. 250. n. 3. Regin. in praxi, tom. 1. lib. 1. cap. 19. sect. 1. n. 240. Philarcho in sum. de excom. lib. 3. cap. 33. in fine, & aliis, injuriam factam in loco publico, tunc esse gravem & enormem, quando concurrunt duo, nempe, quod sit notabilis, & gignat magnum scandalum. Et hanc opinionem putat probabilem ipse Sayrus ubi supra, sed asserit, his non obstantibus, non esse tenendam, quia vt etiam notat Bonac. de cens. disp. 2. g. 4. punct. 5. n. 2. ex quadam Bulla Innocent. IV. quam asserit Navar. supra n. 91. in dubiis, percussiones declarandas esse potius graves, & enormes, quam leves, ne præbeatur occasio lædendi statum Ecclesiasticum.

3. Sed respondeo cum Filiuc. in quest. mor. tom. 1. tract. 15. cap. 1. n. 45. quod supradicta Bulla est incerti auctoris, & non continetur in jure. Ex his omnibus tunc putavi potuisse Episcopum ab excommunicatione dictum delinquentem absolvere.

RESOL. LXI.

An calcibus percussus Clericum in platea dicatur percussisse leviter in ordine ad obinendam absolutionem? Ex p. 9. tract. 4. Ref. 19.

§. 1. Omnino contra me negativam sententiam tenet Stephanus Baunius in Theol. mor. tom. 2. disp. 5. tract. 4. g. 2. ubi asserit: [Queritur, an censendus sit aliquis gravior percussus in ordine ad excommunicationem incurrendam, qui calcibus fuit appetitus in platea? Affirmat Sayrus de cens. lib. 3. c. 286. n. 6. quia percussio ratione loci publici, quæ aliqui levis esset, fit enormis: ita ille cum aliis apud Maceratesen. var. resol. lib. 1. n. 10. Adde ego non parum eo opere, ac simili, Clericorum dignitatem, ac nomen lædi: nam, quid ad eorum contemptum esse potentius potest, quam unum eorum quempiam calcibus peti in oculis omnium? Opinio contraria defenditur à Diana tr. 16. resol. 23. Reginaldo lib. 1. cap. 19. sect. 1. n. 240. Navar. cap. 27. n. 92. quia, vt percussio censetur esse gravis, quæ est in publico facta, debet duo habere: primum, quod sit notabilis: secundum, quod generet scandalum. Primum deest (inquit Diana) percussioni dicti Clerici, qui calce est in platea impetitus: quare existimat eum aliis, quod percussus, ab Tom. V.

Episcopo absolvi poterit ab excommunicatione incurta ob injuriam sic Clerico illatam. Hæc sententia non est probabilis: quid enim Clerico magis esse probrosum, turpèque potest, quam spectante ubi, infra servos poni, & cum majore dedecore, ignominiaque plecti, quam qui sunt sceleratissimi: nec enim hi, aut illi, si quid peccent, in platea vapulant; aut si ibi impudentiæ suæ poenas pendunt, non eam calcibus, sed virgis luunt. Quare prima mihi sententia, vt probabilior, sequenda videtur in praxi. Hæc Baunius. Sed sibi videtur contradicere: nam, si mea sententia affirmativa non est probabilis, vt ipse ait, quo pacto potest sententia negativam vocat probabilior? Si sua sententia est probabilior, sequitur quod nostra sit probabilis; & revera illam, tanquam probabilem, me citato, admittit Leone de cens. recollect. g. n. 382. in fine, ex autoritate Navarri. Vide etiam Philarchum in Summa, lib. 3. c. 33. in fine, asserentem, cum Navar. injuriam factam in loco publico esse gravem; duobus tamen concurrentibus, nempe, si sit notabilis, & gignat aliquod magnum scandalum. Hinc rectè à fortiori fuit resolutum Papæ, teste Mario Antonino var. resol. lib. 3. resol. 11. per tot. percussorem Sacerdotem in facie cum pugno; ex qua percussione exierunt de ore ipsius aliquæ guttæ sanguinis, incurrisse quidem in censuram, sed quia talis percussio existimata fuit levis, potuisse absolvi ab Episcopo.

RESOL. LXII.

Quis potest absolvere à dictis percussione?

Et an hac potestas extendatur ad quolibet Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes?

Et in textu Resolutionis explanantur omnes persone in jure expressæ, quæ excusantur adire Pontificem pro absolutione ab enormem Clerici percussione. Ex p. 9. tract. 4. Ref. 47.

§. 1. Respondeo, quod ab excommunicatione contracta ob levem percussione potest Episcopus sibi subditos absolvere in utroque foro, vt colligunt Panorm. & communiter DD. ex cap. Pervenit. de sent. excom. & Extrav. Ioan. XX. quæ incipit, Perleclis. Sed, an hæc potestas extendatur ad quolibet alios Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes? non conveniunt DD. Negant Felinus, & Panorm. in d. cap. Pervenit. Sylvester verb. Absolutio, 4. n. 5. quos sequitur Molina tract. 3. disp. 59. n. 2. ducuntur: quia Pontifex in d. cap. Pervenit, committit Episcopo, vt Fratri, hanc potestatem: inquit enim textus: Tuae fraternitatis arbitrio duximus committendum. Atqui nullus inferior Episcopo Frater à Pontifice nuncupatur, sed filius. Non igitur censenda est hæc potestas aliis ab Episcopo concessa. Sed hæc ratio infirma videtur: Pontifex namque, quia loquebatur cum Episcopo, nomine Fratris usus fuit; non, quia velle hanc potestatem Episcopali tantum characteri annexere: hæc enim potestas non Episcopo ratione jurisdictionis conceditur: aliàs eam delegare non posset, neque illius Vicario generali communicaretur, ut ipse Molina communicatam esse censet. Quapropter verius existimo, quoscumque Episcopali jurisdictione gaudentes hanc habere potestatem. Ab excommunicatione verò contracta ob gravem, & à fortiori ob enormem Clerici percussione, jure communi spectato, nullus alius præter Pontificem, ejusve Legatum, absolvere potest, exceptis aliquibus casibus in jure expressis, & quæ continentur in his versibus.

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis, Delictosus, inops, egerque, senexque, sodalis, Ianitor, astrictus, dubius causa, levis ictus, Debilis, absolvi sine Summa Sede merentur.

O 2

Quos

Sup. hoc Legato in to. r. tr. 5. Ref. 16. §. Secunda, in fine, &c. Et sup. contentis in his vers. regula,